



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XLVII. Temperantia D. Augustini in victu: detrectationis execratio:
pauperum, & maximè iuuentutis, studiosa cura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

indolem, vt ita dicam, ac colores expressit, non in vestibus opere Phrygio factis, vel bysso aut purpurâ constantibus, verum iis quæ modestiam aspicientibus insinuarent. Eandem virtutem obseruauit in ædibus, supellectili, & Episcopalibus ornamentis:

Martin. V.
ferm. De
translat.
S. Monica.

vti docent pedum eius Pastorale, nequam ex auro vel argento, sed his longè inferiore materiâ: similiter & mitra, quam Valentia nos asseruamus, ex linteo dumtaxat albo fuit. Quin adeò sanctæ paupertatis erat studiosus, vt ob eam Ecclesiæ suæ vasa sacra cimeliaque, in vsus pauperû distraheret. Ac ne quidem post mortem diuitias & paupertatem desinit auersari, dum (vt latius docebitur) noluit corpus suum à rege Luitprando sumptuosâ veste ornato deferri.

Inf. c. 68.

CAPVT XLVII.

Temperantia D. Augustini in victu: detractionis execratio: pauperum, & maximè inuentutis, studiosa cura.

MENSA est vsus Episcopus tenui ac frugali: ea non opiparis ferculis, vel argenteâ supellectile renidebat, sed vasis ligneis præter cochlearia erat instructa; non quidem ob inopiam, sed voluntatem paupertatis studiosam. Vescabatur autem, vt

leui-

semper, oleribus aut leguminibus, interdum auté, hospiti- bus aduentantibus, pau- xillum carnis adhibebat. Nihil in cibo, po- tu, balneis, ceterisque id genus corporis seruitiis exquirebat, præter ipsam necessi- tatem, voluptati nihil indulgendum ratus. Quare de nonnullâ quam interdum admi- serat delectatiunculâ semetipsum accusans, *Docuisti me*, inquit, *ut quemadmodum me- dicamenta*, quæ parcissimè cum auersione sumimus, *sic alimenta accedam sumpturus. Carnem autem ieiuniis & abstinentiâ doman- dam* monebat, *quantum valetudo permittit*, ideoque suis *nihil extra horam prandij su- mere* præcipiebat. Certum id ab eo factum esse in eum finem, cum ut corpus tempe- ratius euaderet (est namque sobrietas ma- ter sanitatis, uti ventris ingluuies vertigi- num, catarrhorum, subitæq; mortis causa) tum ut hac voluntaria corporis maceratio- ne, peccata expiaret, *Excrucio*, inquit, *me, ut Deus parcat; do de me pœnas, ut ille sub- ueniat, ut placeam oculis eius: nam & victi- ma excrucietur, ut in aram imponatur. De- nique ut carnem menti magis subiiceret, Si enim*, inquit, *equo utereris, qui te gestan- do posset precipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fa- me domares, quando freno non posses? Caro*

Li. 10. Cõ-
fess. cap. 31.

*Alimenta
ut medica-
menta su-
menda.*

In Regulâ
ad seruos
Dei.

Chryl. De
Ionâ Pro-
phetâ.

Tract. De
util. ieiun.

*Abstinen-
tia insignis
commenda-
tio.*

mea iumentum meum est : iter ago in Ierusalem , plerumque me rapit , & de viâ conatur excludere , ideò parcius ei cibum porrigo . Et ne inutiliter multum temporis prodigeret ; vel forsan propter oblatam occasionem , temperantiæ limites excedendo , rebellioni anam corpori præberet ; semper illud

Possid. c. 27 tenuiter reficiebat . Tria quoque ex more

Tria ex more D. Ambrosij obseruabat .

D. Ambrosij inter cetera obseruabat , ne videlicet cuiquam vxorem posceret ; ne militare volentem commendaret ; & , quod proposito nostro seruit , ne quantumuis obnixè rogatus , conuiuium domi seu in patriâ adiret : facile est enim in alieno prandio voluptati quidpiam dare . Mensam verò suam irradiabat non ineptis salibus , non curiosâ vel etiam noxiâ , vt fit , rerum quæ exteris in regionibus fiunt , narratione : verùm tamquam is qui in lege Domini meditabatur , sacrâ lectione , pio colloquio , vel disputatione de rebus sacris condiebat ; inanibus sermonibus , ac præsertim detractio- nis vitio penitus excluso . Cui ne locus vllus esset , prope mensam distichon hoc inscribi tabellæ iusserat :

Possid. c. 22

*Quisquis amat dictis absentem rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.*

Cùm verò conuiuæ aliquando in hoc impingerent , alienam famam sermocinando deni-

denigrantes, ita grauitè corripuit, succen-
sens in ob iniuriam quæ absentibus infere-
batur, vt diceret esse delendos illos versif-
culos, aut se de mediâ refectione ad cubi-
culum secessurum: quod ipsum Possidius
se cum sodalibus non semel inaudisse testa-
tur. Et quamquam Episcopatus Hippon-
nensis esset insigniter opimus, & pro quo-

*Nihil bono-
rum Eccle-
siae, S. Augu-
stinus in a-
micos deri-
uauit.*

rumdam ratione, proferret annuè quadra-
ginta scutorum millia; nihil tamen inde
sibi in posterum reseruauit, nihil in pom-
pam aut inanem dignitatis obseruationem,
nihil in amicorum promotionem detraxit.
Atqui longè prudentiùs & laudabiliùs, cen-
sus annuos in pios vsus conuertit, eleëm-
synas in pauperes erogans, virgines egentes
matrimonio iungens, captiuos redimens,
monasteria ædificans, templaque collapsa
restituens. Ac sanè caducis hisce bonis (quæ
verè sapientes pro nihilo semper reputa-
runt) ita se penitus nudauit, vt quadam si-
militudine imitaretur, quantum homini
licet, eum qui nostræ salutis causâ facul-
tatibus omnibus adeò semetipse destituit,
vt in cruce abiectissimâ, quæ paupertatis
esse figura possit, extremum vitæ spiritum
profuderit. Quo exemplo discerent om-
nes, quotquot rerum, præsertim sacrarum,
gubernationi admouentur, temporaria
quàm

*Sua in pias
causas ex-
pendit.*

quàm minimum bona curare ; haberentq̄;
hoc ipsum velut antidotum ad morbum
avaritiæ turpem declinandum. Igitur quid-
quid decenti cùm sui, tum suorum erat nu-
tritioni super, id totum ex Christi lege &
sacrorum Canonum, in homines egentes
ac victus impotentes, tum etiam in rudes
disciplinarum conuertebat. Siquidem vt
ante Baptisma, cùm liberalibus disciplinis,
tum in primis Oratoriâ facultate proderat
adolescentibus ; sic à Baptismo nihil ei fuit
antiquius, quàm vt in eorum indole tene-
râ, tamquam molliore cerâ, virtutum om-
nium imagines imprimerentur ; vtq̄e ma-
gis rudes optimis moribus & artibus im-
buerentur, atque suis & suorum manibus,
velut à teneris compositi pufiones, in viros
optimos euaderent, vtilem denique ope-
ram Ecclesię Catholicæ impenderent. Sen-
tiebat enim maiorem esse curam adhiben-
dam in instructione, quàm educatione libe-
rorum. *Non enim*, scribit, *iam felicitas est
habere filios, sed bonos habere.* Plurimi nam-
que perpetuis ignibus sunt à Deo traditi,
propter incuriam parentum, ac pessimam
educationem. Huic malo procurando, li-
brum scripsit De instituendis seu catechi-
zandis rudibus, in quo cuncta quæ piam e-
ducationem attinent, tam exacte tradit,
nihil

*Exemplo
D. P. Augu-
stini iuuen-
tutis, maxi-
mè studio-
sæ, ratio ha-
benda.*

In Ps. 127.

*Scripsit di-
uus Augu-
stinus librū
De instrua-
dis & ca-
techizandis
rudibus.*

nihil vt huic argumento deesse videatur. Ne quæ verò pigeret ob animi elationem, diuturnitatem, aut fastidium, huic tam pio, tamque Reipub. Christianæ operi necessario, se dedere, affert exemplum matrisfamilias, quam ex amore ingenito delectat lallare, tertiata imperfectaque verba sui infantuli præire, cumque eo murmurillare, quin & præmansos cibos in osculum eius ingerere, ac similia minutissima quæque munia non sine animi voluptate præstare. Adhæc exemplo gallinæ hortatur, quæ languidulis plumulis teneros complectitur fœtus. Et vt maiora proferam, sequi Paulum Apostolum monet, qui pro nimio in Deum amore, factus est paruulus in medio suorum, tamquam nutricula fouens alumnos suos. Denique Christi Seruatoris imitatione nos inflammat, *qui cum in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quam ob causam? nisi quia factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret.* Addit idem, quò demissiùs in hoc opere se quisque gesserit, eò maiorem vtilitatem inde collecturum esse. Ideoque parentum amorem induere monet, *nihil inquirentes ab eis, ad quos descendimus, præter eorum æternam salutem.* Cui quidem promouendæ, hoc tam deplorato rerum statu, haud scio, an

Cap. 10.
lib. De ca-
techiz. rud.

Cap. 12.

an præsentius remedium esse possit, quàm bona puerorum institutio. In hac palæstrâ etiam præstantissimi quique viri, necnon Episcopi, bonam vitæ partē collocarunt: in quibus fuere Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Erachlaus, Protogenes, Abbas Lupus, & alij cõplures. Ut omittam Aurelium Cassiodorũ, iuxtà doctissimum ac sanctissimũ virum, Romanæ nobilitatis decus: qui factus, vt Apostolus, omnibus omnia, prima quoque rudimenta, quamquam in ætate decrepitâ, docuit; idem puerorum dirigere manus, & ad characteres rectè formandos ducere non erubuit. Talis fuit D. Cassianus martyr, qui tandem ob morum & fidei integritatem, suorum discipulorum graphiis confossus, doctrinæ meritum laureâ martyrij cumulauit. Quorum vestigia sequentes hisce temporibus Clerici Societatis IESV, maximo totius orbis bono iuuentutem erudiunt. Quod idem multis antè sæculis aliæ religiosæ familiæ in hodiernum vsque diem præstitere, ac præcipuè Benedictini, & nostri Augustiniani: qui propter iniuriam temporum aliquamdiu intermissum, seu potius minus propalam exercitum hoc tam pium opus, maiore contentione animorum in compluribus locis iam resumunt; eâ remani-

Apud Eu-
feb. lib. 5.
& 6.

Ipsè Cas-
siod. in In-
stit. diuin.
& Præfat.
Variar.

Scholasteri-
gunt Patre:
Iesuita &
Augusti-
niani, eru-
dienda iu-
uentuti.

manifestè Parentem suum Augustinum imitantes, cuius, vt suprà demonstratum est, in docendis adolescentibus opera studiumque exarsit.

CAPVT XLVIII.

Alienissimus D. Augustinus ab adeundis hereditatibus, nisi piam quandoque ob causam.

QVAMVIS autem census aut arua studiosè non compararet, libens tamen oblatos agros, vel legatione datos redditus, atque id genus eleëmofynas; in pauperum subleuamen, & templorum ac monasteriorum ædificationem accipiebat; quòd sciret eas non minùs Deo gratas, quàm largitoribus utiles: præparant enim eis æternam mansionem, vt Dominus Lucæ XVI. & pluribus idem D. Augustinus Enarr. in Psal. LXXV. quemadmodù & D. Gregorius lib. IV. Dial. cap. XXXVI. rem eamdè pulcrâ confirmat visione cuiusdam militis, qui diuinitus fuerat eductus in virentia, odoriferisq; herbarum floribus luxuriantia præta, quò in loco candidatorum hominum conuentus esse videbantur. Inibi ædificabatur domus quædam elegantissimi operis, quæ diuersis contignationibus videbatur constare, erantque substructi parietes & tecta laterculis aureis, quos in ædificationem

*Eleëmofy-
na sui lar-
gitoribus,
æternâ præ-
parat man-
sionem.*